346

162

Viro Doctissimo
Jo. Ern. Imm. Walchio
Schoepflinus S. D.

Munera literaria, quibus Bibliothecam meam ornasti, jucundissima mihi fuerunt, quod à Te, Viro Juvene ad alta surgente, meique amante, profecta sunt. Suada Tua specimen luculentum edidisti, nostra hac aetate tanto magis laudandum, quo rariores indies fiunt Eloquentiae cultores, cum loquentiae studiosos ubiq. reperias. Galli nostri idiomati suo nimium profecto tribuunt, faciuntq. id impendio sermonis Latini. Sed et in Germania

346v

Veſtra Latium non eum amplius obtinet locum, quem olim obtinuit; poſtquam ex Profeſſorum auditoriis exulat ſermo Romanus.
Hoc magno Tibi incitamento eſſe debent, Vir Doctiſſime, ut ſublimis porro ſtadium decurras, quod tam felicibus auſpiciis pridem ingreſſus es. Venerandum Parentem, Virum Muſis tam charum, ut et fratrem literatiſſimum, ex animo reſaluto. Vale. Argentorati Non. Januar. MDCCLII.